tur tempus coniunctionis pro ciuitate orientaliori, & è conuerso, si habe tur tempus coniunctionis pro ciuitate orientaliori, tunc subtraheretur ab ea una hora, & haberetur pro occidentaliori. Sed habito medio motu ad ciuitatẽ occidentalẽ, tunc medius motus, qui est in tãto tempore scilicet in una hora, debet subtrahi à medio motu ciuitatis occidentalis, & habetur medius motus, eadem seu consimili hora in ciuitate orientali, & è conuerso. Si habentur medij motus pro ciuitate orientali, tunc medij motus in una hora eis addantur, & habebuntur pro ciuitate occidentali consimili hora. Sciendum etiam quòd supputationes Astronomicæ, dies æquales præsupponunt, ea ratione omnes motus in Ephemeridibus sunt ad dies æquales positi. Sed quia cum dies in rei ueritate æquales non sint, quidam subtrahunt æquationem dierum à tempore super quo motus quærunt, & iuste quidem, si motus pro certo determinato tempore quærunt. Pro Ephemeridibus uero conficiendis, non erit opus, nam non multum diuersitatis ingerit æquatio hæc dierum in planetis, ob eorum motus tarditatem. In Luna autem, cuius motus in Ephemeridibus etiam ad dies æquales calculatus, hoc idem maxime obseruandum erit, ob motus eius uelocitatem. Quare si locum Lunæ uerum ad thema cœlicum sistere uolueris, necesse erit motum eius uerum reducere ad dies inæquales, id est, facere motum eius æquatis diebus, & hoc fiet per tabellam Lunæ hic annexam. Si autem à tempore tuo, cum quo motus quæris, prius æquationem dierum subduxisti, tunc non erit opus huius tabulæ id quod te meminisse conuenit. Intra igitur tabellam hanc Lunæ cum uero motu Solis illius diei cuius motum Lunæ reducere cupis ad dies inæquales & minuta ex communi angulo reperta subtrahe à loco Lunæ uero illius diei, & prodibit locus eius diebus æquatis, id est inæqualibus.

Tabella Lunæ minutorum subtrahendorum.

G	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
8	4	9	10	8	6	8	13	16	15	8	2	0
2	4	9	10	8	6	8	13	16	14	8	1	0
4	5	9	10	8	6	8	13	16	14	7	1	0
6	5	9	10	8	6	9	13	16	14	7	1	1
8	5	10	10	7	6	9	14	16	13	6	1	1
10	6	10	10	7	6	9	14	16	13	6	0	1
12	6	10	10	7	6	9	14	16	13	5	0	1
14	6	10	10	7	6	10	15	16	12	5	0	1
16	7	10	10	7	6	10	15	16	12	4	0	2
18	7	10	9	6	6	10	15	16	11	4	0	2
20	7	10	9	6	7	11	15	16	11	3	0	2
22	8	10	9	6	7	11	16	16	10	3	0	3
24	8	10	9	6	7	11	16	16	10	3	0	3
26	8	10	9	6	7	12	16	15	9	2	0	3
28	8	10	8	6	7	12	16	15	9	2	0	4
30	9	10	8	6	8	13	16	15	8	2	0	4

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG